

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

97. Absvrda

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

pu- det, qui cum quater centum quotannis de Christo accepto, præfente, & fraternitatem offerente planas, apertasque conciones audiant, nihil tamen hodie, si decem aliæ decades accederent, auditum iri, imo ne Paulum, Petrum, aut Christum si iterum obambulent.

## 27. ABSURDA.

**A.** Hic ille furcifer est, & cuncta supplicia meritus? **B.** O desinant aliquando, & respirare sinant! **A.** Tu nempe humana cuncta aspernaberis? **B.** Quoniam humana cuncta deceperunt. **A.** Deum nescis? **B.** Scio, interim homines imperant. **A.** Nulla ne providentia creditur? **B.** Nonne omnia venalia sunt? **A.** Quid misericordia Divina? **B.** Vbi miseri conculcantur. **A.** Justitia superest. **B.** Interim quod quisque vult, facit. **A.** Præfente Deo? **B.** Ecquis pudor, reverentia ubi? **A.** Atqui Deus omniscius. **B.** Atqui manifestissima hæc palliantur. **A.** Religio prohibet. **B.** Nunc dives per foramen acus transit. **A.** Leges cohercent. **B.** Muscas, non vespas. **A.** Quid nostri Theologi? **B.** Diglantur. **A.** Justitiæ vero Sacerdotes? **B.** Cucurbitas imponunt. **A.** Ergo Medicis parum reliqui? **B.** Mors æqualis. **A.** Provochemus ad rationem. **A.** Beluæ præripiunt. **A.** Nihil denique reliqui? **B.** Nihil, nisi ut me placide sinas, qualem desperatissima rerum nostrarum facies fecit. **A.** Principes succurrent. **B.** Non vacat per mundana. **A.** Saltem proceres.

B. Aurum mihi non est. A. Sanè Myftrarchi? B. Nescis hæreticum? A. Labora. B. Corpus non sufficit. A. Mendica. B. Jam definendum foret. A. Spera. B. Homines concrefcunt, lapidescunt. A. Patere. B. Id fortiter facio. A. Nunc tibi sum mitior. B. Sed quid succurris? A. Nihil est. B. Quid spondes? A. Æque miser sum. Memineris autem non me de Divino numine inique sentire. Sed illos qui in conspectu inque despectum Dei tot abominabilia perpetrant. B. Quid contulis? A. Futuram æternitatem expectemus. B. Nunc places: Nam si præsentibus esset immorandum & ex præsentis mundi intuitu de Deo, & ejus regno judicandum, nihil excogitari posset homine infelicitus. Cæterum Divinum regimen & potentiam inter hos mundi turbines nemo tam facile agnosceret ex rerum creaturarum ordine, quã quod humana malitia vniversus mundus nõ plane corrumpitur, desperditur, annihilatur: Scilicet est aliquod arcanum robur, quod hoc universum sustinet, donec absoluta periodo dissolvatur. A. Condone mihi temeritatem. B. Libenter; at tu post hac scies multa hæc Sathanæ mancipia adorari, multos Dei filios proclamari impios.

## 98. SIMON DORMIS.

A. Quid mirum est rebus periculosis. plerumque homines esse securissimos? B. Nempe illud Simon dormis identidem inclamandum foret. A. Quis nescit Germaniæ decus & robur per ordinum dissensum languesceres vile-